

sic intellexit, ut necessaria sit relatio explicita, sine qua homo, opus ex objecto bonum agens, peccat, ut intelligunt & volunt adversarii, debent admittere hanc illusionem, scilicet, *omnia infidelium opera esse peccata*, esse ex mente Aug. aut fieri Augustinum male ratiocinatum fuisse. Neutrum admittunt: ergo fateantur, necesse est, se non attingere legitimum sensum Aug. Quis autem sit S. Doctoris sensus legitimus, in bona luce posuimus dissert. 3. de gratia art. 3. §. 2. vide. Itaque nunc R. 1. Aug. hæc verba, *non recto fine, non in Domino gloriari*, & similia, non sumere contradictorie, sed negative, sed contrarie, quasi diceret: in alio, quam in Domino gloriari, & perverso fine agere, peccatum est; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur: quo sensu in Scriptura 1. Reg. 18. Saul dicitur non rectis oculis aspexisse Davidem. Itaque Augustinum interpretatur S. Th. & Estius, ut vidimus loco cit. de gratia. Idque manifestum est ex ipso Aug. eodem Cap. cit. 3. *Quia, inquit, non fideles, sed infideles, hoc est, STULTI ET NOXIA faciunt voluntate*. Ibid. *Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus sunt. Bonum est enim, ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed ille, qui hæc facit, si AMANDO GLORIAM HOMINUM magis quam Dei facit, non bene bonum facit; quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit: absit enim ut sit, vel dicatur voluntas bona, que in ALIIS, VEL IN SEIPSA, non in Domino gloriatur.*

Ocurrunt Daëlmán non posse dici, quod Aug. agat de illis, qui actiones suas referunt in malam finem, sique non gloriantur in Domino; quia nulla unquam de tali re potuit esse questio, quia hoc esset malum: nec Aug. eo in casu potuisset dicere, vestire nudum non esse peccatum. Ad 1. fallitur vir eruditissimus; probavimus enim loco cit. de gratia ex Aug. Julianum ita deripuisse, ut assereret opera ex officio bona, etiamsi malo fine fierent, esse verè bona, & virtutes pravo fine turpes & deformes esse veras germanasque virtutes. Require loco cit. Obj. 2. Et quæso, nos, omnesque nobis consentientes, qui negamus esse peccatum non gloriari explicitè in Domino, audebit fortè Daëlmán vocare impios? Quod a mente Religiosi viri puto alienum: & tamen solus impius negat, quod præterit Aug. Ad 2. R. August. potuisse eo in casu dicere, quod vestire nudum non sit ex objecto peccatum, sed ex fine operantis. R. 2. Opera, que sunt sine fide per dilectionem operante, ex recto tamen fine naturali, vocari ab Aug. peccata lato sensu, sumente peccatum pro omni eo, quod a fine deficit, & cui deest plenitudo suæ perfectionis, qualia sunt huiusmodi opera, que cum non fiant ex charitate, sunt sterilia ad Regnum Cælorum. Eodem sensu dicit, virtutes Philosophorum non esse veras virtutes, sed vitia; quia, quamvis possint esse, etsi rarò, sine malo fine, non tamen conducent ad vitam æternam. Loquitur enim Aug. de virtutibus & bonis operibus, non moraliter & secundum Philosophos sumptis, sed prout sunt meritoria Regni cælestis, seu ut dicit in eodem Cap. *per qua solam homo potest ad æternum Dei donum, Regnumque perducere*. Vide locum integrum loco cit. de gratia. Tandem Augustinum agnoscere in infidelibus, etsi rarò, opera verè bona & laudabilia, non solum ex objecto, sed etiam spectato fine, invicte probavimus, præsertim ex libr. de Spir. & Lit. loco cit. de grat. Prob. 2. Certum est autem, infideles non habere explicitè pro fine ultimo Deum propter se dilectum, quem ignorant, sed implitè tantum in honestate actus, quam appetunt, & in dictamine rationis, quod sequuntur.

Inst. hæc relatio virtualitatis implicita non sufficit Augustino: ergo. Prob. Ant. ex l. 19. de Civit. c. 25. ubi sic ait de virtutibus hominis infidelis: *Virtutes, quas sibi habere videntur... nisi ad Deum retulerint, etiam ipse vitia sunt potius quam virtutes: cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expectantur, etiam tunc inflata, ac superbe sunt; & idè non virtutes, sed vitia iudicanda sunt*; atqui, dum virtutes propter se appetuntur, est secundum nos virtualis relatio implicita in Deum: ergo. R. 1. Et hanc sententiam esse ab ipsis Adversariis solvendam. Non enim volunt, opera infidelium sine sua relatione virtuali explicitè esse peccata & vitia, ut hic dicit Aug. sed infideles dumtaxat in his peccare non referendo in Deum. R. 2. D. Min. Dum virtutes propter se appetuntur, est virtualis relatio implicita in Deum, si in eis non ultimè sistatur C. Min. Si in eis ultimè sistatur tanquam in vera beatitudine N. Min. Et hoc sensu loquitur Aug. ut patet ex verbis immediatè seq. *Sicut enim, inquit,*

non est a carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beatè vivere. Aug. ergo illic reprehendit Stoicos, qui in virtutibus moralibus suam beatitudinem constituebant, & de quibus Serm. 13. de verbis Apost. c. 7. sic loquitur: *Existerunt autem alii superbi, quasi à carne se removens, & totam spem beatitudinis suæ in anima sua constituentes, posuerunt summum bonum in virtute sua... tales fuerunt Philosophi, qui Stoici nuncupati sunt... dicebat Epicureus: mihi frui carne bonum est; dicebat Stoicus: mihi frui mea mente bonum est; dicebat Apostolus: mihi adherere Deo bonum est*. Fatemur autem, virtutes sic propter se ultimè appetitas non esse veras virtutes, sed vitia, quippe quod hac prava intentione interceptatur virtualis relatio ad Deum, & hæreatur in creatura, illa fruendo. Sed, si voluntas feratur in opus ex objecto bonum, non hærendo ultimè in ipso, neque in se ipsum, aut alium pravam finem retorquendo, sed ut est bonum inchoatum & in suo gradu constitutum secundum rectam rationem; dicimus, quod sit moraliter bonum, & agens non peccet, quia virtualitèr implitè intendit Deum, ut huius boni inchoati perfectionem & consummationem. Posset etiam dici Aug. loqui de virtutibus, que ad se referuntur, non ratione sui, sed ratione operantis, qui in eis gloriam quærit. Undè vocat eas inflatas, & superbas.

Obj. 4. Homo ut rationalis tenetur omnes suas actiones referre in finem rationi conformem: ergo homo ut elevatus ad finem supernaturalem tenetur omnes actiones suas referre in finem supernaturalem. Subiungo; atqui ista virtualis relatio ad finem supernaturalem non potest esse implitè, cum opus bonum morale non tendat de se ad summum bonum supernaturale: ergo requiritur virtualis explicita, vi nempe prioris relationis actualis virtualitèr permanentis. R. 1. Hoc argumentum non spectare infideles negatos; quia, licet sint etiam creati & elevati ad finem supernaturalem, cum tamen ignorent invincibiliter Deum ut auctorem supernaturalem, non adstringuntur præceptis ordinis supernaturalis, & sic deficit argumentum pro majori parte. Quantum ad Christianos R. 2. Justè 1. conclusionem nostram, eos teneri referre virtualitèr explicitè omnes actiones suas in Deum, ut auctorem supernaturalem in actu charitatis strictè, ad que sæpè tenentur, & per quem se & omnia sua referunt & consecrant Deo, ut ultimo fini supernaturali, quæ relatio & totalis consecratio virtualitèr perseverat in omnibus actibus sequentibus, donec revocetur per peccatum mortale; quia revocatione posita, iterum tenentur ad eandem relationem per alium actum charitatis, non tamen statim; quia præceptum charitatis, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, ut jam toties dixi. Insuper Christianus sæpè tenetur operari propter finem supernaturalem, nempe ubi agitur de actibus fidei, spei, de oratione, poenitentia, susceptione Sacramentorum, & de pluribus aliis spectantibus Religionem; & puto, raros esse inter Christianos, qui etiam in suis acibus moralibus non agant ex motivo supernaturali; paucos enim reperies, etsi aliunde peccatores, qui interrogati, cur faciant elemosynam, cur colant Parentes, cur debita solvant & similia, non respondeant, quia sic Christus docuit, quia id decet Christianum, quia sic docemur in Religione, aut quid simile sapiens motivum supernaturale. Sed quidquid sit, si rigorosè urgeatur comparatio R. 3. N. Consequ. Disparitas est 1. Quod ratio sit homini intrinseca & inseparabilis Regula omnia suarum actionum; elevatio autem ad finem supernaturalem sit quid extrinsecum & accidentale, non destruens, sed conservans naturam. 2. Quia, dum homo non refert actiones suas ad Deum ut finem supernaturalem, refert tamen, ut suppono ad Deum ut finem naturalem, sique habet semper Deum pro fine & illi adhuc deservit, & idè non peccat. At si neque ad finem rationi conformem actiones suas refert, tunc nullatenus habet Deum pro fine, & in nullo illi deservit, idèque peccat. Pone casum. Vir Christianus, sed peccator, occurrentis pauperis miseria commotus, & præcisè cogitans, eum sibi in eadem natura esse fratrem, secumque eundem habere creatorem & Patrem, ex hoc sincero, sed solo amore communis Patris & Creatoris, huic misero erogat stipem: Peccatne? dic velim: & tamen non agit ex motivo supernaturali. Quam verius ergo compendio dixit Doctor noster (2. q. 10. a. 4. ad 1. *Fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis; sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis*.

Alia

Alia argumenta, que opponunt Adversarii a ratione, levia sunt; & nihil aliud probant, quam quòd, cum Deus sit primum principium, ita debeat esse finis ultimus. Id autem ultro concedimus; cum hoc discrimine, quòd Adversarii velint relationem virtutem explicitam in Deum ut ultimum finem toties quoties: nos vero dicimus, sufficere virtutem explicitam, quando urget præceptum charitatis, & virtutem implicitam toties quoties.

OPUSCULUM, OLIM SUB FINEM OPERIS ADJECTUM,

D. HAGENS, refutantis P. BILLUART systema de Relatione Operum in Deum. Sequitur & Questio Theologica, istius adversus illum: insuper & Questio altera de eadem relatione operum, adversus aliud opusculum R. P. MAUGIS: utraque ab eodem P. BILLUART elucubrata.

SYSTEMA NOVUM

R. PATRIS BILLUART

DE RELATIONE OPERUM IN DEUM.

Refutatum a Reverendo admodum, ac Eruditissimo D. HAGENS, in alma Universitate Lovaniensi Sacrae Theologie Licenciato, Professore Regio, &c. &c.

MONITUM AD LECTOREM.

Hujus Systematis Refutatio, licet a Perillustri, ac Eruditissimo Censore Leodiensi a. 3. annis approbata, in lucem non prodierit, nisi Systema R. P. BILLUART, quod in operibus suis Leodii impressis non habetur, alibi contra bonam fidem typis mandatum fuisset, & quidem a quibusdam Professoribus, seu potius Lectoribus Leodiensibus approbatum, qui monstra sibi effingunt, priusquam intelligant: qua autem auctoritate hi in Approbatores librorum sese erigant, non scimus.

1. Questionem Theologicam de Relatione operum in Deum a R. P. BILLUART conscriptam pedetentim refutare intendimus. Ac in primis, ut utamur verbis ipsius P. Secunda Secundæ pag. 140. Suscipientes Ecclesie definitiones, agnoscimus non omnia opera Infidelium esse peccata, nec omnes virtutes esse vitia; non tamen contendimus, prout ibidem prosequitur ignorantia nostre sententiæ laborans P. B. eos peccare in omni suo opere: ad summum enim peccant in non opere; imò ne quidem semper peccant peccato omissionis, seu defectu relationis in Deum propter se dilectum. Infideles enim possunt actus aliquos bonos non tantum exercere, sed & eos ad Deum ex amore aliquo imperfecto, & inchoato dirigere; quia in ipsis nunquam sunt pie affectiones erga primam veritatem, illuminationes, ut habet Aug. præambula Fidei. Valens itaque hominem, quoscumque deliberatè agit, teneri sub peccato veniali actum referre in Deum ex amore, non quidem charitatis, strictè scilicet, sed benevolentie, relatione virtuali explicita; sic tamen ut defectus hujus relationis ipsam quidem operantem inficiat, at non ipsum opus.

2. Suum systema oppositum ita proponit (Ib.) *Ut tam operans, quam opus examinatur a peccato... sufficit, ubi non urget præceptum dilectionis Dei super omnia, quòd opus sit ex objecto honestum, & nullo pravo fine, nullatè alia prava circumstantia vitiatum: sic ut operans... diligens honestatem particularem hujus operis, censetur diligere virtutem implitè primigeniam, & fontalem honestatem, quod est ipse Deus, cujus hæc particularis honestas est participatio, consequenter intendat implitè ipsum Deum*. Hanc suam relationem in Deum vocat implitè, & ex parte operantis, hoc sensu, quod operans ex libera electione facit opus, quod ex se tendit in Deum. At hoc citat Sylvium, & Laurentium Berti; sed reflectat P. B. ad id, quod addit præfatus Berti: *atque hoc arbitror sufficere ad opus bonum morale*. Hoc autem nullatenus negamus. Porro negamus, nec probat P. B. quòd implitè ejus Dei dilectio, & operis in Deum relatio sit veri nominis, & moralis; id est, que non tantum hominis, sed humana sit, ut infra demonstrabimus.

Jam referamus, & refellamus ejus probationes.

3. 1. Probare conatur (Ibid.) ex eo, quòd præceptum dilectionis Dei, cum sit affirmativum, non obligat pro semper: ergo, inquit, ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus suum in Deum alièr, quam sit dictum in sua Conclusionè. R. 1. Distinguo Antecedens: Præceptum dilectionis Dei, cum sit affirmativum, non obligat pro semper, ad actus continuos, Concedo; non obligat pro semper virtute, Nego. Sic ergo præceptum istud, utpotè affirmativum, non obligat pro semper, quasi actualis relatio, seu actus relationis debeat esse continuus; sed obligat ad hanc actualem relationem tam sæpè, & tam vigorosè ponendam, ut vi illius omnia nostra procedant. Deinde non semper deliberatè agimus; adeoque non semper urget hoc præceptum. R. 2. Retorqueo argumentum: Præceptum affirmativum non obligat pro semper; ergo, ubi non urget hoc præceptum, non tenetur homo referre opus suum in Deum, modo relato in Conclusionè Patris B. seu implitè; atqui tamen P. B. agnoscit hominem, toties quoties deliberatè agit, teneri referre suum actum in Deum relatione virtuali implitè, quatenus tenetur semper agere, quòd de se bonum est. (Ibid. pag. 142.)

4. Ut probet primum Mandatum, & alia relationis præcepta non obligare Pro semper, asserit P. B. S. Th. in 2. Dissert. 40. a. 5. ad 6. ubi dicit: *Si queratur, quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam querere quando oporteat habitum charitatis exire in actum*. R. hoc ita intelligit P. B. quando oporteat ex præcepto referendi actum referre, &c. An igitur aut a parte rei, aut juxta S. Th. dum, & quoties præcipitur relatio, præcipitur ut fiat ex habitu charitatis? Quid tunc erit de Infidelibus? quid de quovis extra statum gratiæ? Sed accipe, quod certè non ita sit juxta S. Th. Hanc ipsam opinionem rejicit S. Th. in terminis, & de eo, quod hic statuitur, dicit: *Quòd falsum est*. In 5. Dist. 36. a. 6. o. & ib. ad 5. sic habet: *Dicendum, quòd modus charitatis plus importat, quam relationem operis in finem debitum; importat enim quòd actus ex habitu charitatis procedat, quo multi carentes, actus suos in Deum referunt*. Subintelligo, *Sicut præcipitur 1. Cor. 10. quod enim hoc ita fieri possit sine habitu charitatis est illud ipsum, quod hic ostendere vult S. Thom.*

5. Quod amplius est, eodem art. ad 2. docet S. Th. quòd neque primo mandato præcipitur actus dilectionis, qui fiat ex habitu charitatis; aut si in eo hoc præcipitur, illud magis sit ad ostendendum, quòd tendere debeamus, quam ad obligandum: seu ut hic dicit in corpore articuli, hoc in eo præcipitur: *Quantum ad intentionem Legislatoris, non quantum ad obligationem Legis*. Ex his S. Th. omnino perspicuum est, quòd hic textus a Patre B. objectus ejus sensu intelligi non possit. Idem etiam ex hoc ipso loco perspicuum est, uti & quod hic sit ejus sensus: *Si queratur, quando ad men-*

teriale & formale peccati male argueret contra prædeterminationem physicam, juxta Patrem B. utpotè Thomistam. Confundens finem operis & finem operandi, esse morale & esse physicum actus, an melius ratiocinetur?

23. Ad exemplum Daëlmanni respondet P. B. omissionem solutionis 50. florenorum non esse circumstantiam efficiendam moraliter solutionem 50. florenorum, sicut ommissio finis debiti, &c. R. Cùm hoc sit illud ipsum, quod quaeritur, hactenus est petitio principii. Sed audiamus, si non probationem saltem indicium, quod sic subijcit P. B. *Cujus indicium est, quod, transacta solutione 50. florenorum, remaneat adhuc obligatio solvendi alios 50. sic ipsum operantem, seu debitorem efficiens, ut adhuc peccet donec solverit. At, transactio opere, v. gr. elemosina, non remanet amplius obligatio relationis ad Deum, neque ex hac parte deinceps peccat operans. R. Falsum est, quod in operante, transactio opere, non remaneat amplius obligatio relationis ad Deum. Hac enim in eo manet, & respectu cujuscumque operis alterius; ut v. gr. respectu alterius elemosinae secutura, æqualiter sicut in casu Daëlmanni in operante est & manet obligatio respectu alterius secutura solutionis aliorum 50. Imò in casu nostro nunquam non est in operante obligatio relationis ad Deum pro quovis opere deliberato, & fuit in eo respectu hujus elemosinae, quam non refert, dudum antequam hanc daret. Quod autem deinceps non peccet operans non referendo hanc elemosinam ante factam, merè per accidens est; nempe, quia eum excusat impotentia; quia *Quod factum, infectum fieri nequit.* Eadem ex causa, si immediate post solutionem primorum 50. operans habeat impotentiam, seu fiat impotens solvendi hos alios 50. florenos, deinceps transacta solutione priorè, non peccabit hos alios 50. non solvendo.*

24. Ex hac refutatione, si valeat, ut puto valere, inferres Patrem B. incassum mutare circa propositiones damnatas in Bajo & Quesnello, præsertim circa istam Baji: *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Sed & dato, prosequitur P. B. (Ib.) (rectius dixerit demonstrato) opus defectu relationis non infici, sed solum operantem, nec ideo, ut videtur, *Oculis capto*, omnino evadimus. Hinc enim

25. In suo Probatur 4. conclusio infert P. B. ex nostra sententia, 1. absurdum hoc: *Quod necesse sit infidelem, quoadiù manet infidelis, in omni opere peccare.* R. ut quid perpetuo tibi ardeat, nec nansam movebit semper idem falsum suppositum? In sententia nostra Infidelis qua talis non peccat in opere, sed cum eo & extra illud. Non relatio est extra opus; sicut in casu antidictio Daëlmanni, non solutio aliorum 50. est extra solutionem 50. florenorum, qui solvuntur & solvi debent. De tali Responsione, dicit P. B. *hec recte, an secus dicantur, expendant doctores... videant an propositio damnata non sit excogitata ut exprimeretur sententia Adversariorum & eximeretur a censura Bajana? Videant denique, nàm, qui facit opus, cui deest debiti finis circumstantia, non verè dicatur in sensu naturali & obvio peccare in isto opere. Bona verba, quæso Reverende P. quis negat, quod ille, qui facit opus, cui deest debiti finis circumstantia, non verè dicatur in sensu naturali & obvio peccare in isto opere? Aërem hic more solito verberat; & falso supposito corruente, cætera tua videant spontè ruunt.*

26. Deinde in eadem nostra sententia, etiam necesse non est, quod Infideles manens talis vel sic peccet extra quodlibet opus suum; ut signanter patet exemplo Platonicorum, qui, Aug. teste, docebant omnia opera in Deum ut finem ultimum, non relatione implicita P. B. sed nostra, ac omnium, esse referenda: quam eorum sententiam vocat Aug. in terminis, doctrinam, rationem veritatis, veram salubremque sententiam; addens, perniciosissimum fuisse generi humano, quod hæc non reciperetur, idque in moralibus Ep. 118. n. 16. 17. &c. Convenio hic P. B. hæc transumpto illo, quo Julianum convenit Augustinus. *Obscuro te, non sit religiosior Philosophia Gentilium, quam nostra Christiana, quæ una est vera Philosophia.* Libr. 4. contrà Jul. c. 14. n. 72.

27. Ex eadem (Ibid.) infert P. B. 2. hanc damnatam: *Reverè peccat, &c. & responso nostrorum de particula offensum reponit: Quasi peccator, qui dolet de suo peccato propter ejus turpitudinem, si referat hunc dolorem ad Deum, possit referre ad Deum non offensum.* R. quasi verò, qui elicit odium peccati, merè ex motivo turpitudinis ejus, non possit hoc ipsum odium manens tale, & hunc ipsum actum odii elicitum ex virtute obedientiæ ut actum ab hac imperatum, referre ad Deum ut mandantem odium peccati etiam ob ejus turpitudinem. Per quam & in qua relatione hoc odium certè non refert

ad Deum ut offensum; licet illud referat ad Deum, qui offensus est, hoc, nec alio sensu, ad Deum offensum. Invidit igitur P. B. hic perspicue in aperto æquivoco circa responsionem nostrorum, qua ex superabundanti ostendimus tantum abesse, ut in doctrina nostra ille, de quo objecta damnata, sic, ut hic dicit, reverè peccet; ut contra etiam fieri possit, ut nequidem peccet omitendo relationem nostram.

28. Hæc sequens autem hic est directa responsio nostra quam P. B. ne attingit quidem. Hæc objecta damnata falsa est in sensu suo proprio, & in tantum naturali & obvio; scilicet in hoc quod ille peccet odiendum peccatum ob ejus turpitudinem; quod adeò falsum est, ut contra, in quantum hoc facit, etiam faciat, quod præceptum est. Est igitur hæc damnata falsa, ut hæc falsa est in sensu proprio: reverè peccat, qui solvit 50. florenos debitos, sine solutione aliorum 50. quos hic & nunc debet solvere eidem creditori. Ille enim non peccat solvendo 50. debitos licet peccet & merè peccet non solvendo alios 50. En quam solide suam sententiam hic probet P. B. & nostram evertat absurdis, quæ ex hac consequantur; ut responsionem hinc nostram directam ne attingat quidem, & circa nostram hic superabundantem in aperto ludat æquivoco. Sicut (Ibid.) dicitur

29. Infert 3. Pater ille hic pugnat cavillo, qui vocatur *ignoratio Elenchi*, seu ignorans statum questionis hic iterum ærem verberat: sic enim agit: „Sequitur 3. Quod, qui elicit actus fidei, spei, etiam operatur bonum solius æternæ mercedis intuitu, absque ulteriori relatione ad Deum propter se dilectum, peccet; quodquædam sit absurdum, &c.“ Hic To propter se sumit ille Pater, pro modo suo & statuenti & arguendi purè Scholastico ac ut peculiari ex circumstantiis sensu sumitur, dum charitas stricta Theologica definitur, aut de hujus actu, & non nisi de eo sermo est, nimirum convertibiliter pro propter se ut in se bonus est. Sed toto, ut ajunt, celo hic aberrat Pater ille: nàm ut vel ex eo solo, quod hic ex Daëlmanno affert, & quod a nobis statuitur de actu spei, perspicuum est, To propter se hic non summi a nobis hoc restricto & peculiari sensu Scholastico; sed latius, ac in sensu suo naturali & obvio, ac communis intelligentiæ, hoc, quod idem est, quod non propter aliud. Quidquid enim diligitur, certum & evidens est, quod diligitur propter aliud, adeoque vel propter se, vel propter aliud a se; non enim datur medium; atqui omnis finis actionis ultimus non diligitur propter aliud a se: ergo hic omnis certè diligitur propter se. Igitur quam certum & evidens est, quod in actu Spei Theologicæ Deus non diligitur propter aliud a se, tam certum & evidens est, quod in eo diligitur propter se, sensu communis intelligentiæ, & nostro.

30. Certè Pater ille, etiam ut Scholasticus hæc ignorare non debebat, neque etiam sequentia, desumpta ex Aug. quem hic sequi profitemur. *Nihil appetere, Libr. 83. q. 25. Quæ non propter se amantur, non amantur.* Libr. 1. Solil. c. 11. n. 22. Igitur quam certum & evidens est, quod ipso in se actu amoris Spei Theologicæ Deus amatur; tam certum & evidens est, quod eo, juxta Aug. & juxta hanc ipsam ejus definitionem amoris, Deus amatur propter se, & quod, juxta hæc Augustini, omnis finis actionis ultimus amatur propter se, & solus ille amatur; ut mox a ratione ostendimus.

31. Augustino consonat S. Bernardus, dum libr. de diligendo Deo c. 7. dicit: „*Quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quo amoris finis perpendit, non per quod tendit. Per 10. non per quod tendit*“ statuit hic S. Bernardus, ut supra Aug. non amari media; seu quod idem est, non amari illud, quod propter aliud amatur; quod per amare videaris hic exprimit S. Bern. Proinde, ut non hoc, sed solum illud, quo amoris finis perpendit, amari hic dicit S. Bernardus; ita, ut supra Aug. hic statuit, omnem finis actionis ultimum amari propter se, & hunc amari.

32. Insupèr non solos Patres, sed etiam ipsum S. Thom. tametsi ejus phrasia scholastica sit, hic sequimur. Nàm 1. 2. q. 8. a. 2. o. sic definit finem, nimirum finem simpliciter dictum, id est, actionis ultimum: *Id, quod est propter se bonum & ultimum, est finis.* In hac definitione ubi, si unquam, propriè loquimur, modum, quo omnis & solus finis actionis ultimus non propter aliud amatur, hic S. Thom. vocat in terminis velle, seu amare hunc finem propter se. Cùmque hunc finem definiens, ponat pro differentia definiti to propter se amari, hic habet & ponit ut convertibiliter proprium fini actioni ultimo.

33. Ex his spontè fluit, quod non in solo actu Spei

Theologicæ, sed etiam in actu fidei involvatur Relatio virtualis explicita in Deum dilectum propter se; hoc sumendo sensu nostro, sensu proprio, naturali, & obvio, sensu communis intelligentiæ, Augustini, & Patrum, ac ipsius S. Th. Etenim in hoc ipso fidei actu, dum in eo præstamus, & deferimus debitum assensum Deo revelanti, hunc evidentè Deo præstamus, & deferimus ut fini cui actionis ultimo; adeoque hac relatione actuali, vel virtuali explicita ad Deum finem cui actionis ultimum Deum, ut finem diligimus propter se, dicto sensu nostro.

34. Quod amplius est, hæc Dei dilectio etiam benevola est propriè ac amor amicitie erga Deum. Atque hæc omnia, non solum juxta Aug. sed etiam juxta ipsum S. Th. Nàm per se evidens est, quod, dum hac dilectione Deo ut fini cui præstamus assensum debitum, hunc ei velimus certè non ut malum, sed ut bonum. Jam verò dicit S. Thom. in terminis 1. p. q. 20. a. 1. ad 3. 1. *Est propriè amare aliquem, vellet et bonum. 2. Ad illud, cui aliquis vult bonum, habetur amor amicitie.* 1. 2. q. 26. a. 4. o. 3. *Benevolentia propriè dicitur actus voluntatis, quo alteri bonum volumus.* 2. 2. q. 27. art. 2. o.

35. Insilit in oculos, quod sit planè eadem ratio, & actus Religiosis, & actus, quo Deo mandanti formalem obedientiam deferimus, ac omnium ejusmodi, seu omnium in quibus Deus est operans finis cui actionis ultimus relatione qua facimus quiddam facimus, ut Aug. loquitur, id est, relatione actuali, vel virtuali, & omnium, & nostra. Igitur etiam evidens est, quod in his quoque actibus, ut in actu fidei, involvatur relatio virtualis explicita in Deum dilectum propter se; quæ non solum juxta Aug. sed etiam juxta ipsum S. Th. idque propriè, est benevola Dei dilectio, ac amor amicitie erga Deum, quo etiam propriè amatur Deus, & propter se amatur.

36. Hanc ipsam relationem nostram, secundum hic delineatam suam latitudinem, idque sub ipsa sua formali ratione proposuit, primo Mandato præceptam esse; in terminis docet S. Th. atque hac opus referre in Deum vocat *Deum diligere*: & utrumque hoc facit illo, & tali loco, in quo primum Mandatum ex instituto enucleare, imò speculatum, & quoad singulas ejus partes, & quoad singula in eo præcepta exponit. Hoc autem Mandato primo præcepta Dei dilectio, omnium sciri, & consensu, est Dei dilectio propter se. S. Th. 2. 2. quæst. 44. art. 5. o. sicut diximus, exponens primum Mandatum dicit: „*Præcipitur nobis 1. Ut nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde... Deum diligere. 2. Quod intellectus noster subdat Deo, quod est ex tota mente... Deum diligere. 3. Quod appetitus noster regulatur secundum Deum, quod est ex tota anima... Deum diligere. 4. Quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.* Dicit igitur hic S. Th. in terminis, quod sit Deum diligere. 1. Dum intentio nostra feratur in Deum; ut certè fit in quavis relatione nostra. 2. Dum intellectus noster subditur Deo, ut certè fit in quovis actu Fidei christiane in quantum eo crediatur. 3. Dum appetitus noster regulatur secundum Deum; ut certè fit, v. gr. in quovis actu Temperantiæ qua tali, dum quis in ea ob Dei voluntatem appetitum edendi, vel bibendi refrænât. 4. Dum exterior actus noster obediat Deo; ut certè fit, v. gr. in quovis actu elemosinae qua tali, dum quis hanc porrigit ut Deo mandanti obediat.

37. Cùm ut ex mox dictis patet, hanc Doctrinam nostram in exemplis allegando, hoc Patris B. argumentum ab absurdo penitus enervet Daëlmannus, profectò bellè, & iterum errans de hac Daëlmanni responsione hic dicit P. B. *Sic responderi, non est argumentum solvere, sed, meo saltem iudicio, illi succumbere.* Sed accipe, quæ & qualia, idque tametsi consequentia prorsus irrita, nobis tamèn insultans, inferat ulterius: „*Ergo magna illa principia, & generalia præcepta, quæ tantoperè extollunt Adversarii, scilicet Deum esse ex toto corde diligendum, omnia in gloriam Dei, in nomine Christi, in charitate esse facienda, non continent universalitatem actionum nostrarum immediate in seipsis, nec obligant pro semper: ergo penitus ruunt fundamenta hujus Sententiæ; hæc sunt enim ferè unica.*“

Parturim Montes, nascetur verrucosus mus. Etenim hic iterum toto celo aberrat a vero, idque ex ignorantia claræ, & expressæ Doctrinæ nostræ hic, ubique Ducum; seu tam Augustini, quam S. Thomæ, quam igno-rare eum, utpotè Thomistam, minime decebat. Perspicuum enim est, quod pro suo, quo hic omnia, & sua statuit, & nostra impugnat, modo concipiendi, pure purè Scholastico, P. B. hoc errore, & hic labatur, & hic pugnet, Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

quo existimat primo mandato non alios actus præcipi, quam tales, qui sint charitas strictè Theologica.

38. Post hæc (Ibid.) ex sententia nostra infert 4. hoc absurdum, peccatorem, qui timet Deum, & ejus justitiam, si hunc timorem non referat ad Deum propter se dilectum, non disponi ad Dei amorem, & sui justificationem. Contra Trid. Sess. 6. cap. 6. Hanc suam sequelam ex hoc, & non aliunde, probat, quia non concipitur quomodo homo peccando, etiam venialiter tantum, disponitur ad Dei amorem, & sui justificationem... & quantum per bonum timorem disponitur ad Dei amorem, & sui justificationem, tantum retrahitur, & ut ita dicam, indisponitur per peccatum, ita ut melius esset non timere, quam timendo non referre, &c. R. Itane verò? an ergo melius esset pro Patre B. non recitare Officium Ecclesiasticum, quam recitando vice una venialiter distractum esse? an melius non dare ex pura pura misericordia summopere indigentem, & merenti elemosinam 100. florenorum, quam eam sic dare cum vana gloria sese furim ingerente, & sic venialiter peccando? An hæc Patris B. recitatio Officii, cæteroquin pia, & devota, ob dictam venialem distractionem, illum Patrem, & an hæc elemosina ob dictam vana gloriam illum elemosinarium non disponent ad amorem Dei? an uterque quantum per hoc bonum suum opus disponitur, tantum indisponitur per suum peccatum veniale? Quid paradoxum non foret, aliquid ex his affirmare? & tamèn hæc paradoxa singula, & omnia in exacte pari affirmat P. B. imò confidenter statuit; & ex his paradoxis, velut rem strenue gerendo, & sua a se stabiliri, & nostra debilitari, imò everti præterdit. Sed, iniquis, vir non concipit illud. R. Si, quod hoc non concipiat, proveniat ex parte intellectus; hunc sanè non penetrantem habeat oportet; cùm hoc in utroque a nobis alato exacte pari facit, & clarè concipiat, vel rusticus. Si proveniat ex parte voluntatis, est in casu hujus, *Noluit intelligere*, &c.

39. At insupèr hunc Patrem, non modò in eo, in quo semper æquivoco hic herentem; verum etiam S. Augustini, imò ipsius S. Thom. n. 19. a nobis allatam de timore doctrinam hic ignorantem, & juxta S. Aug. *perverse fortem* notabimus. 1. Ut juxta ostensa sæpius alibi, hic hæret P. B. dum defectum relationis nostræ hic exprimit per hoc, quod timor non referatur ad Deum propter se dilectum. Nàm ex Aug. in Ps. 28. v. 10. *Timor Domini, non servilis, sed castus, gratis amans, non querit timens ab eo, quem tremis, sed separari ab eo quem diligit.* Si quis igitur diligit Deum, summum bonum suum, lineat separari ab eo, is timorem suum charitate Augustini, ac proinde relatione nostra refert ad Deum, tametsi Deum sensu Patris B. propter se non diligit. Hæret igitur hic P. B. manifestè in æquivoco. Jam Doctrinæ Augustini a Patre B. ignoratæ specimen demus. Libr. 2. ad Bonifac. cap. 9. sic habet: *Quantum timore panis, non amore justitiæ, fit bonum, nondum bene fit bonum. Id est, ut Ench. c. penultimo dicit Aug. nondum fit, quemadmodum fieri oportet.* Igitur juxta Aug. peccator Patris B. dum recedit a peccato timore servili, in tantum bonum facit bonum, ac proinde, & timor ejus, & recessus a peccato actus bonus est; sed in quantum non facit ex amore justitiæ in tantum hoc bonum nondum bene fit, & non facit quemadmodum fieri oportet: adeoque hic ejus non amor justitiæ juxta Aug. malus est; ut hinc etiam malam voluntatem, aut peccatum non semel vocat Aug. Accipe etiam quibus verbis exponens dictum Augustini dogma hic docet S. Th. 2. 2. q. 19. a. 4. ad 1. „*Verbum illud Aug. intelligendum est de eo, qui facit aliquid timore servili, in quantum est servilis, ut scilicet non amet justitiam, sed solum penam timeat.*“

40. Postremum notemus, Patrem B. juxta Aug. hic esse *perverse fortis*, imò quod etiam Augustino hic directè contradicat. Clarum est, quod P. B. dum hic inferens statuit, quod peccator non nisi ex timore servili, seu judiciorum Dei, recedens a peccato, si id peccans venialiter faciat, melius faceret non sic timendo, quam sic timendo; & ipse non velit primò Deum sic timere, non discedat ad tempus sic esse sollicitus; atqui dicit Aug. in terminis, & de eo, qui non vult primò Deum sic timere, quod *perverse fortis sit*; & de peccatore, *discat sic timere discat ad tempus sic esse sollicitus*: ergo & P. B. juxta Aug. in terminis hic perverse fortis est, & hic Augustino directè contradicit. Probatur Minor ex Aug. serm. 348. *Perverse fortis est, qui primò Deum non vult timere, ut timendo audiat, audiendo diligit, & diligendo non timet. At cum enim timetur panis, quam minatur, dicitur amari*

præmium, quod pollicetur; & sic per timorem bona vita retinetur, per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pena timeatur. Quia propter dicitur timere, qui non vult timere. Discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus. Ut enim dicitur Joannes, timor non est in charitate, sed perfecta charitas foris mittit timorem. En quomodo, & qualiter ex sententia nostra P. B. hic inferat absurda. En quomodo, & qualiter inferendo hic sua stabilit, nostra evertat.

41. Denique sententiam suam probat ultimo (Ib. pag. 154) per hoc quod nostra referendi obligatio deberet esse: Ex genere suo sub mortali peccato; quam sequelam tripliciter astruere nititur. 1. Quia hæc obligatio est ex primo mandato, quod juxta omnes in materia gravi obligat sub gravi. R. Ita est etiam ut ac quando primum mandatum hæc, & nunc obligat ad actum charitatis Theologicæ strictè dicte, qui sit dilectio Dei totius cordis intensiva, ut hæc relatio nostra est materia gravis, ita etiam primum mandatum ad hæc obligat sub gravi. Verum, dum quis v. gr. dans elemosynam unius quadrantis, hæc tenetur referre ad Deum aliqua charitate Augustini, statuimus non esse nisi materiam leuem; & quidni talis foret? Evidentia rei hic partialis nostra est probatio, quam hic aliquam a nobis petit P. B. probet igitur oppositum. Assignet hic pro materia gravi: Si longa series actionum in statu eligendo subtrahatur Deo, per non relationem nostram. Quis, a-mabro, hic vitæ status est, in quo eligendo hoc fieret? Sed hoc unico actu fieri non potest, nisi merè in proposito, quod non est ipsa harum securarum actionum non relatio ad Deum; quia, hoc non obstante, adhuc potest operans has ipsas securas actiones omnes omnino ad Deum referre, sicque eas Deo non subtrahere. Admittimus autem, quod in proposito deliberato longam seriem actionum securarum Deo subtrahendi sit peccatum grave commissionis, non autem omissionis nostræ. En quomodo vera falsis hic miscet P. B. ut facere hic pergit, dum inde falsum concludens. 2. Dicit, quod obligationem referendi nostram fundemus in præcepto naturali constituendi Deum finem ultimum nostrum, quod est materia gravis. R. Nonne servare regulam SS. Dominici, Francisci, &c. est materia gravis? Non tamen, ut arbitror, dicit P. B. quod singuli ab ea defectus sint peccatum mortale. 3. Dicit P. B. Alia præcepta sive naturalia, sive divina, ubi obiectum secundum se est grave, obligant secundum se, & ex genere suo sub mortali. R. quid hoc singularis ignorantie est? Etenim divini præcepti vivendi secundum Evangelium (E. G. Joann. 12. & 14.) obiectum certè secundum se est grave; desipit tamen P. B. si, singulos ab eo defectus peccatum mortale esse, statuatur.

42. Hactenus ostendimus, quod P. B. neque ab auctoritate, neque a ratione sua, vel hilo stabilit; neque in quantum suam referendi obligationem statuit; neque in quantum nostrum negat, & impugnat. Nunc ostendere aggredimur, in quantum hoc nondum ostensum est, quod etiam argumenta hic nostra, & fundamenta ne hilo quidem debilitet, minus enervet. In primis ad argumentum quod ducimus ex 1. Cor. 10. & ex c. 16. & ex Coloss. 3. admittit P. B. (Secunda Secunda pag. 154.) hæc esse præcepta, Sed omnia verificari in sua sententia; quia in ea homo tenetur aliquoties elicere actum amoris Dei super omnia in quo involvitur virtualiter ordinatio omnium suorum operum in Deum; sique facit omnia in gloriam Dei, in charitate, & in nomine Christi. R. hic in terminis statuit P. B. quod, ut in quantum homo facit jam ante dictam P. B. ordinationem operum suorum in Deum, Sic faciat omnia opera sua cujusvis temporis futuri in gloriam Dei. Cum luce meridiana clarius sit, quod quemadmodum hic homo, in quantum facit hæc ordinationem, ne unicum quidem ex securis operibus suis faciat, ita in tantum ne unicum quidem ex his In gloriam Dei faciat, dum hujus luce meridiana clarioris, non modo contradictorium, sed etiam contrarium in terminis hic statuit P. B. necesse est, ut vel deliret, vel genus humanum delirare existimet. Quod dicit, relatione sua implicite satisfieri his præceptis, jam ante numeris 8. 9. 10. 11. 12. 14. & 15. eversum est.

43. Dum hic pro 1. Cor. 16. addit (Ibid.) aliquid de doctrina nostra, hujus, ut sæpe alibi, suam prodit ignorantiam: nam hoc præceptum intelligimus præcisè ut S. Th. in his verbis quæ afferit P. B. Quod omnia debeant referri ad finem charitatis, scilicet, ut fiant propter Deum & proximum, nempe dilectum propter Deum. In c. 16. 1. Cor. lect. 2. Quod addit pro præcepto Coloss. 3. nimirum Illud non spectari nisi fideles, si hujus præcepti litteram,

non mentem & rem, spectes verum est: sed etiam ipsi huic litteræ contradicit, ut ostendimus. Nos autem ex hac littera astringimus (verbis Patris B. loquor) solum fideles; ex mente vero, & re etiam infideles.

44. Post hæc (Ibid. pag. 155.) movet sibi instantiam ex S. Th. commentario in 1. ad Cor. c. 10. in quo S. Th. in 2. Dist. 40. q. 1. art. ultimo ad 7. hoc præceptum Apostoli de relatione ad Deum nostram, & omnium virtuali, Quæ sit virtute conjuncta actioni nostræ cujuslibet, exponit verbis tam claris, ut clariora nec habemus, nec dari possint, quibus hæc relationem nostram, & omnium, virtutalem, aut exprinamus, aut definiamus. Hinc subjicit P. B. atqui hæc ipsissima est sententia adversariorum: ergo. Respondet P. B. sententiam S. Th. non esse ipsissimam sententiam adversariorum; quia S. Th. hic subdit: Et contingit omissionem ejus esse venialem, vel mortalem; Adversarii vero, inquit P. B. volunt, omissionem relationis suæ in quovis casu esse tantum venialem. R. cum certè P. B. non sit malæ fidei, iterum ignorantia doctrinæ nostræ erat, & desipit ille Pater. Nam Majores nostri apud S. Sedem. Hæc omnia profitentur se sentire, ac docere, juxta sensum, quæ S. Aug. tradidit &c. Jam verò de omissione relationis nostræ sub notione Irregularitatis utendum; seu creatorum dicit Aug. 1. 1. de Doctr. Christ. Si eis (creatis) quibus utendum est, frui voluerimus, impediatur cursus noster (ad æterna), & aliquando etiam deflectitur; ut ab his rebus, quibus fruendum est (ab æternis) vel retardemur, vel etiam revocemur. Luculentum est, quod sub notione dicte Irregularitatis de omissione relationis nostræ, hic in terminis doceat Aug. quod hæc simpliciter loquendo non nisi venialiter peccemus, seu ut Aug. loquatur, hæc cursus noster ad æterna tantum impediatur, & nos ab eis tantum retardemur. Sed tamen aliquando etiam hæc eadem mortaliter peccemus, seu, ut Aug. hic loquitur, hæc cursus noster ad celestem patriam ab ea aliquando etiam deflectatur, & nos ab ea revocemur. Igitur constantem Magistri sui doctrinam sequitur S. Thomas v. gr. in verbis hic a Patre B. obiectis. Habes hic partiale fundamentum nostrum, quod a nobis afferri petit P. B. in verbis suis, de quibus egimus supra num. 41. ubi etiam attulimus casum, in quo, ut in aliis ejusmodi, præceptum relationis juxta nos obligat sub mortali; item casum, in quo, ut in aliis ejusmodi, non nisi sub veniali obligat, brevitas causa omittimus referre textus, quos citat P. B. (Ibid.) ex quibus nihil pro se inferre potest; & remittimus ad ea, quæ diximus a numero 4. ad 15. utrobique inclusivè.

45. Non possum tamen non referre hæc parenthesis a Patre B. omissam in textu cit. ex S. Thom. in 2. dist. 41. q. 1. a. 2. ad 4. scilicet, non obligamur ad hoc, quod quilibet actus actu dirigatur in finem illum, in quem non potest nisi fides dirigere, quia præcepta affirmativa non obligant ad semper, quamvis semper obligent. Et ideo non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum (scilicet, in quem non potest nisi fides dirigere) non est ordinatus, semper sit peccatum, sed solum, &c. Si P. B. hic primam suam parenthesis, ut certè, si aliqua hic ponatur, poni debet etiam potuisset, pareret, quod S. Th. hic solum loquatur de debito referendi opera in Deum ut finem ultimum talem, in quem non potest nisi fides dirigere: adeoque non loquatur de debito referendi, de quo, & de quo solo inter nos, & ipsum quæstio est.

46. Hic etiam noto, quod P. B. (Ibid.) pariter incassum afferat verba Matth. 5. etenim illa, quæ his verbis præscribitur Dei glorificatio, certè talis est, quæ a nobis fiat humano modo, & sic nobis voluntaria sit; adeoque juxta ante probata, non potest esse Patris B. implicita operum in Deum relatio. Hinc intelligentia, subdit ibid. P. B. aperte favet Aug. serm. 2. in Ps. 34. in fine ubi sic ait: Suggesto remedium undè tota die laudes Deum, si vis: quidquid egeris, benè age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum... Et quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum, &c. R. Solus hospes in Doctrina Aug. ignorare potest Tò benè agere in phrasi S. Aug. hoc esse nihil aliud quam illud facere propter Deum: ut manifestum est, vel ex solo hoc loco Aug. 1. 4. contra Jul. c. 2. n. 33. Sine Creatoris, nullus quisquam benè utitur creatoris. Igitur illud, quod in loco a Patre B. hic allato Augustinus suggerit remedium undè tota die laudes Deum, si vis, phrasi communi convertibiliter dicitur Quodquid egeris, propter Deum age, & laudasti Deum.

47. Exinde obijcitur sibi 2. primum mandatum, (Ib.) Respondet P. B. etiam, juxta ipsum, omnem effectum

cor-

cordis debere referri ad Deum, vel virtualiter explicite in actu charitatis, vel virtualiter implicite appetendo secundum rectam rationem bonum honestum, &c. Sed hoc spontè corrui ex ante a nobis probatis. Risu, non responsione, dignum est, quod hic nobis veluti multum errantibus opponat hoc stum allatum ex S. Th. 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2. ut nihil supra Deum, &c. quod est, ut ait P. B., verè & sincerè diligere Deum super omnia appreciativè; Nam, ut habet S. Th. 1. 2. q. 21. a. 4. ad 3. Totum, quod homo est, & quod potest & habet, ordinandum est ad Deum, Ex quo præcepto, amabo, si non ex primo mandato?

48. Post hæc P. B. (Ibid.) sibi obijcit 3. loco illa generatim, quæ ex S. Aug. afferimus, & speciatim duo famosa respectivè ex n. 21. & ex n. 30. capitris 3. libr. 4. contra Julianum. Antequam respondeat P. B. observat S. Augustinum ex his & aliis similibus principis inferre contra Julianum, infidelium opera esse peccata, & eorum virtutes vitia; & benè observat. Si ergo Aug. infert P. B. ista sic intellexit, ut necessaria sit relatio explicita, debent Adversarii admittere, hæc illationem, scilicet, omnia infidelium opera esse peccata, esse ex mente Aug. aut fateri Augustinum malè ratiocinatum fuisse. R. etiam nos admittimus hæc illationem ad mentem Aug. intellectam, omnia infidelium opera, de quibus contra Julianum, esse peccata, in sensu, non quidem Scholastico, ut non scripsit stylo Scholastico, sed in sensu communis intelligentiæ, & suo proprio naturali & obvio; nempe hoc, quod opera bona in quantum sine Augustini, & nostra in Deum relatione fiant, peccata esse dicat ob defectum relationis in Deum, quo non obstante vocamus cum Aug. dona Dei, & tamen simul toto celo cum Augustino recedere & distare a damnatis erroribus; ut supra ostendimus. Neutrum admittimus, subdit ille P. sed hoc non est verum. Primum enim admittimus, non in sensu Scholastico, sed in sensu proprio & obvio S. Aug. quem cum non admittat P. B. fateatur, necesse est, se non attingere legitimum sensum Aug. ut infra ostendimus. Itaque nunc.

49. Respondet 1. P. B. (Ibid.) Augustinum hæc verba non rectè fuisse, non in Domino gloriarì, & similia, non sumere contradictorie seu negativè, sed contrarie quasi diceret: in alio quàm in Domino gloriarì, & perverso finem agere, peccatum est; ut videlicet ex negatione affirmatio intelligatur. R. Verba Aug. non posse intelligi contrarie, quia tunc nihil conficeret contra Julianum, statuentem etiam infideles veras posse habere virtutes. En Aug. hoc ita testantur verba n. 25. Juliano dicit Aug. Nec per eos potest probare, quod vis, etiam infideles veras posse habere virtutes, jam verò ad hoc referendum Aug. ponit pro exemplo hujus peccati sui, seu quod idem est hujus suæ non verè virtutis, hic etiam ponit opera quæ ad finem malum non referuntur; v. gr. n. 21. ponit virtutes illas, quæ quibuscumque commodis & emolumentis temporalibus serviunt; & n. 25. ponit illa infidelium bona opera, de quibus Apostolus ad Rom. 2. v. 14. sic etiam in loco de hujus conflictibus origine, seu l. de nupt. & concup. c. 4. dicit Aug. peccatum suum esse opus pudicitia conjugalis, non relatum ad Deum, Etiam tanta sit (Conjugum) observantia, ut secundum matrimoniales tabulas, nec nisi librorum procreandorum causa, concubant. Ecce ne unico quidem hujus conflictus loco opus infidelium relatum ad malum finem, in quantum referunt ad malum finem fortuito S. Aug. non excedit, ex exemplo sui peccati, de quo cum Juliano disputat? Ecce (ut omittam alia loca) decies septies a n. 14. ad n. 33. sui brevis conflictus, suam mentem contradictorie, seu negativè constantè exprimit?

50. Ut ostendat suum commentarium subdit P. B. Quo sensu in script. 1. Regum. 18. Saul dicitur non rectis oculis aspexisse Davidem. R. Ex parte materiæ; Concedo: iam vim significationis, Nego. Equidem dicitur Saul aspexisse Davidem non rectis oculis, id est, non talibus, quibus debebat aspiciere virum, qui fecerat salutem in Israel, nempe blandis, benignis, adveniens oculis. Quod autem hic simul etiam intelligamus oculos torvos, invidios despicientes, iratos, &c. id non est in vim significationis, sed ex parte materiæ, ut ajunt; nempe, quia ex circumstantiis, quas Scriptura narrat, scimus Saulis oculos, quibus Davidem aspicebat, etiam tales fuisse. Non sic nostro casu. Sit hoc simile. Quoties arma sunit miles, & non illa sumit, quæ sumi debere Dux militiæ præcipit, ipsis non rectis armis peccat. Hoc dictum primo Aug. famoso loco tam simile est, ut non possit ovum ovo esse simillius; jam verò insilit in oculos, quod in hoc dicto 1. Tò non rectis armis sumatur & sumendum sit negativè, seu ut P. B. loquitur, contradictorie, pro non armis rectis quæ sumi debere Dux Theol. Billuar. Secunda Secunda.

militiæ præcipit. 2. Quod hic sumi non possit affirmativè, seu ut P. B. loquitur, contrarie, id est, pro malis armis, seu vitiosis. Ratio inter ceteras evidens est hæc, quia in casuposito certè fieri posset, quod nulla prorsus arma vitiosa sumeret miles, imò quod non nisi aliqua a Duce militiæ præcepta sumeret, sed non omnia. Itaque non solum pariter, ut in allato Scripturæ loco, Tò non rectis oculis, ita in his Aug. famosus locis Tò non recto fine, in vim suæ significationis sumitur, & sumendum est, sicut diximus; sed ita sumi debere, nec aliter sumi posse, ex ipsis adjunctis ei in hoc ipso loco verbis, aliis, ut in simili ostendimus, evidens est. Nichil prorsus, vel per umbram simile, ut pro allato Scripturæ loco attulimus, pro hoc Aug. loco ex parte materiæ a P. B. afferri posse ex præmissis luculentum est.

51. Deinde suum commentarium firmare vult auctoritate S. Thomæ, & Estii, dum ibidem addit: Ita Augustini interpretantur S. Th. & Estius. R. Secundus Augustinum famosus locus a S. Th. aliter exponitur, quam hic, & parallela Augustini loca exponit Estius: etenim Estius Augustinum hic ita exponit, ut, dum Augustinus dicit infidelium opera esse peccata, id non intelligat converteribiliter de operibus, quæ infidelis sic agit, ut opus ordinat ad finem suæ infidelitatis, id est, ad idolum; sed ut ex dominante cupiditate opus ordinat ad finem aliquem malum, sive idolum sit, sive non, seu aliud sit. Contra S. Th. sic exponit, ut Aug. idem intelligat converteribiliter de opere, quod infidelis sic agit, ut opus ordinat ad finem suæ infidelitatis, id est, ad idolum. Cam igitur hi duo commentarii contradictorie opponantur, si hunc amplectatur P. B. necesse est, ut alterum deserat. Itaque nos, ob rationes n. 49. allatas, recedimus ab hoc commentario Estii. Hoc jure facere possumus, nec ipse succenseret Estius: cum hic ipse sæpe recedat ab ipsius Augustini in varia Scripturæ loca commentariis. Maxime attento, quod, cum ejus tempore hæc nostra de relatione operum in Deum quæstio non adeo ferveret ac hodie, is non ex instituto, aut certè non sic, ut deinde nostri v. gr. Steyartius, examinavit Aug. in suo cum Juliano conflictu doctrinam. Si P. B. tanta sit auctoritas Estii, cur ab hac in commentario in 1. Cor. 10. recedit ad commentarium S. Th. si talis sit, qualem cum hic afferit P. B. cum debita proportione idem dicimus. Si nos hic reprehendat P. B. se ipsum reprehendit; nam ipse hic Estii commentarium sequens ab ipso S. Th. commentario recedit, tamen, ut profiteretur, in omnibus Thomista sit.

52. Ad 1. Dælmanni (Ib. p. 156. Respondens P. B. fallitur, ut patet ex n. 49. Et quæso, inquit (Ib.) nos, omnesque nobis consentientes, qui negamus esse peccatum non gloriarì explicitè in Domino, audebit fortè Dælmann vocare impius? R. Sicuti P. B. certè nihil prorsus probaret, si id, quod hic petit, feceremus; ita nihil prorsus probat, quod illud non faciamus, & abiat, ut faceremus. Hic enim ipsum inter & nos ea solam veritur quæstio, quid in hoc conflictu contra Julianum docuerit Aug. Ad 2. Dælmanni respondet P. B. Augustinum potuisse eo in casu dicere, quod vestire nudum non sit ex obiecto peccatum, sed ex fine operantis. R. Sic est: hoc potuit dicere. Verum hoc non dicit Aug. sed hoc, illud opus in seipso non esse peccatum; quod in eo casu dicere non potuit; ut nec quod hoc & ejusmodi opera sint Dona Dei.

53. Sponte corrui, & aperte falsum est id, quod in R. 2. dicit P. B. Aug. non loqui de bonis operibus moraliter sumptis, sed prout sunt meritoria regni celestis. Etenim Aug. cum Juliano certè non disputavit de bonis operibus, an meritoria sint, an non; quia illa, de quibus disputabant, meritoria non esse utro concedebat Julianus, idque ipso Aug. hic in terminis teste, uti etiam Juliano. En verba Aug. 1. 4. contra Julianum c. 3. n. 33. Quoniam saltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere, scito, &c. En verba Juliani, Ib. Ego sterilitèr bonos dixi homines, qui non propter Deum faciunt bona, quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam. Undè Aug. non dicit: Per quæ solum homo ad æternum Dei domum regnumque perducitur, sed dicit: Per quæ solum homo potest ad æternum Dei domum regnumque perducitur, quia hoc prærequiritur, ut possit, &c.

54. Post hæc recurrit P. B. ad suam relationem implicitam, & sibi instantiam movens dicit: Hæc relatio virtualis implicita non sufficit Augustino: ergo. Prob. Aug. ex l. 19. de Civit. c. 25. ubi sic ait de Virtutibus hominis infidelis: „ Virtutes, quæ sibi habere videntur... nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa vitia sunt potius, quam virtutes, cum ad seipsa referuntur, nec propter aliud expectantur, etiam tunc inflata, ac superbe sunt, & ideo non

X 2

vir-

